

Franckesche Stiftungen zu Halle

Culturam Iuventutis Romanae Orationibus ... Publice Habendis

Lindinger, Johann Simon

Halae, [1755?]

VD18 90809785

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-195602



§. XXIII.



I n artibus, quae imitatione constant, excellentissima omnium poësis est, et proxima huic pictura, cognata priori adeo, ut altera alterius nomine appellari meruerit. Illa quidem pictura loquens, ista vicissim poësis muta; illa tam facili successu hanc aemulata, ut pariter oculos, ac haec aures, tenuerit; affectus utraque mouens, utraque parem semper sibi licentiam arrogans, etenim pictoribus atque poëtis quidlibet audendi semper aequa fuit potestas. Apud Romanos mature honos huic arti contigit, et in tanta dignitate fuit, ut et patricii ei nauarent operam, et sibi cognomina inde peterent. Quando pars institutionis puerilis facta, docet Plinius, quique tradit, semper ei honorem fuisse, ut ingentui eam exercerent, mox ut honesti, perpetuo interdicto, ne seruitia docerentur^(a). Quam cum Valerius Maximus, non contemnendus auctor alias, fordidum artificium vocet, non multum abest, quin agrestem et impolitum pronuntiemus. Quanto elegantior Plinius et demonstraui eius nobilitatem, et contra statuariam defendit praeclare! An fordidam appellabimus, quae libera adhuc republica Romae equestribus atque praetoriis manibus tractata, quae nobilissimae Fabiorum genti cognomen dedit, dignaque visa, quam Q. Pedii consularis ac triumphalis viri nepos doceretur in primis, ipso Augusto probante? Turpilium equitem, nec

A 2

non

(a) Plin. hist. nat. L. 29. I.

non Arterium Labeonem Praetorium et proconsulatu Narbonensis provinciae functum nihilo fecius pinxisse scienter, quam aliis laudibus excelsisse, proditum est litteris. Graecia quoque tantum huic arti tribuit, ut reciperet in chorum liberalium, interdicto perpetuo, ut servitia neque addicerent, neque docerent. Eam quoque liberalibus, a quibus tamen excludebat Stoicorum severitas et Seneca, connumerat, discendamque pueris Galenus praecipit, et Plutarchus ad gloriam Athenarum refert, quod plures ac praeclaros dedisset pictores. Pictura est vita memoriae, testis temporum, mortuorum a morte restitutio, famae immortalitas, quae facit, ut absentes praesto sint, et variis disitisque locis vno tempore repraesententur.

§. XXIV.

Cum historia, poetice, civilis prudentia, peritia legum accuratio, et cetera humanitatis studia intime sint geographiae innexa, ut sine illa vix esse possint, ideo non rudis fuit in eadem antiquitas. Aegyptii, ut geometriae, ita huius etiam disciplinae, aut inventores, aut primi cultores, aut primis proximi feruntur, quippe antiquis illis temporibus in terrarum orbe designando, non modo litteris, sed et figuris et tabulis, posterorum memoriae consuluerunt, quod testatur Apollonius in Argonauticis. Nec Romanis huius generis apparatus et instrumenta defuerunt. Italiam in aede Telluris pictam fuisse, de re rustica Varro, et capita fluminum, orbe terrarum chorographiis picta, Vitruvius, et Metii Pompeiani depictum orbem terrae in membrana, Suetonius in Domitiano memorat (b). Nec non Marinus Tyrius tabellam geographicam confecit, uti est apud Ptolemaeum. Non tantum tabulas regionum, aut orbis, tunc habuere, quarum modum consignandarum Ptolemaeus tradit, verum et globos, seu sphaeras, terrarum orbem minuta forma simulantes (c). Roma illud studium in provincias fuit prolatum, uti Augustodunensis scholae porticus in Gallis Aeduis eiusmodi tabulis ornatas fuisse, Eumenius rhetor, oratione pro restaurandis scholis ad praesidem Galliae, Constantii et Diocletiani aevo habita, declarat. Videat, inquit, in illis porticibus iuventus, et quotidie spectet omnes terras, et cuncta maria, et quicquid invictissimi principes urbium, gentium, nationum, aut pietate restituunt, aut virtute devincunt, aut terrore. Siquidem illic, ut ipse vidisti, credo, instruendae pueritiae causa, quo manifestius oculis disce-

(b) Varro l. 1. c. 11. Vitruv. 8. c. 11. Sueton. Domit. c. 10. (c) Ptol. l. 1. c. 6. s. 24. et 22.

discerentur, quae difficilius percipiuntur auditu, omnium cum nominibus suis locorum situs, spatia, interualla sunt descripta, quicquid ubique fluminum oritur, et conditur, quacunq; se litorum sinus flectunt, quo vel ambitu cingit orbem, vel impetu irrumpit oceanus. Plinius secundus, historiae suae naturalis libris tertio, quarto, quinto geographiam pertractat, ut epitomatores eius Solinum, et quae de situ locorum disserit libro primo Orosius, omittam. Tabulas geographicas primus inter graecos adornasse fertur Anaximander Milesius, Thaletis discipulus, Strabone et Laërtio testibus; inter Aegyptios vero Sesostris, ut auctor est Eustathius ad Dionysium Periegetem, qui addit, vetustissimos graecorum quosdam philosophos breuib; in tabellis, pictos ediscere mundos, docuisse, ut Propertii verbis ad sententiam graeci scriptoris efferebam utar. Cogor et e tabula pictos ediscere mundos (d). Quales fuerint veterum pinaces, seu tabellae praesertim itinerum directioni inferuientes, constat ex reliquiis tabulae Peutingerianae a Velfero editae, atque illustratae. Tandem mappas geographicas apud veteres usitatas fuisse, tradit Kuhniius ad Aeliani varias historias: Socrates Alcibiadem agrorum multitudine superbientem adduxit ad locum, in quo tabula descriptionem terrae complectens suspensa erat, et eum rogauit, ut Atticam ibi requireret; quam cum inuenisset, suos fundos eum iussit inquirere, et cum responderet, nusquam ibi pictos esse, horum, inquit, possessione te effers, qui nulla pars sunt terrae (e). Ad ea alludit quoque Florus in prooemio hisce: faciam, quod solent, qui terrarum situs pingunt, in breui quasi tabella totam imaginem amplectar.

§. XXV.

Nulla tamen in re veteres in vniuersum magis sunt nobis inferiores, quam in eo, quod situm terrarum minus recte cognouerint, traderintque: cum Graeci et Romani vix nauigauerint extra mare mediterraneum, cuius litora ideo satis habebant explorata; at interiora regionum ultra, quam armis suis peruenerant, vix norant, aut nosse poterant, quippe quae demum coeperunt vltimis hisce tribus seculis, post factam in Indiam, Asiae, Africaeque extremae litora nauigationem Europaeis innotescere. Graeci ante tempora Alexandri, vel summum, ante Artaxerxem Mnemonem, et Cyri iunioris expeditionem contra illum, interiora Asiae, maxime supra Euphratem, multo magis Africae mediterranea ignorabant, nisi quod integras nationes, in vtrisque terris sitas vtcunq; sci-

A 3

rent.

(d) Propert. IV. 3. 37. (e) Aelian. 3. 22.

rent. Quia etiam post expeditionem ad Caspium mare factam adeo ignoravit illud ipse Alexander, eiusque comites, ut classe missa inquirere voluerit, utrum ex Ponto Euxino, an vero ex orientali Oceano ad Indos oriretur, uti nos docet Arrianus. Immo Strabo diserte extremos Asiae orientalis populos per Parthorum demum imperium, eorumque commercium cum Romanis, ceteros vero omnes a maris mediterranei litoribus remotiores, per Romanorum arma tandem cognitos, melius certe, quam fuerant antea, tradit. Ex Sallustii bello Iugurthino discimus, plerosque posuisse in divisione orbis terrae, Africam in tertia parte. Pauci, tantummodo Europam et Asiam esse, sed Africam in Europa. Peccata, quae in geographiam admisit Curtius, quem ideo taxat Clericus, sunt nota. Ipse Iacobus Perizonius humani quid passum aliquando Curtium in geographicis, nequaquam diffitetur in Curtio suo vindicato. Nam subinde, ut alia multa taceamus, Pontum Euxinum miscet cum mari Caspio, et Caucasum cum Parapaniso, qui error situm vicinorum omnium locorum confundit. Nec mirum, etenim Curtius saepius a Graecis nonnullis, quos sequitur, et qui sibi etiam turpiter imponi passi sunt, deceptus est. Erroribus, quibus ipsa geographiae elementa conuellantur, vix venia debetur. Suetonius quoque in satis frequentem veteribus errorem incidit, uti exemplis probat Burmannus, ubi Germaniam cum Gallia permutat, etenim omnes fere veteres finitimas regiones saepe confundunt: quod Velleius Geticum bellum vocat, id Suetonius aduersus Dacos destinatum dicit, quia Getae et Daci finitimi (f). Saepius quoque regio sumitur sensu Romano, non geographico. Ita Suetonius in Iulio suo sub Macedonia comprehendit, quicquid est sub imperio Proconsulis Macedonici, adeoque etiam Epirum, in qua est Dyrrhachium, ad quam obsedit Pompeium Caesar (g). Geographiam vero historico minus utilem esse, nemo dixerit, cum sine eius cognitione necesse sit, ut itinera et expeditiones peruerse describat, et lectorem locorum imperitum subinde fallat, nisi a viro peritiore admoneatur. Ne in peccata incideret Polybius, in quae delapsi fuerant alii, antequam manum historiae admoueret suae, lustravit ipse loca, de quibus erat locuturus. Multum enim locorum insectia, uti testatur Diodorus Siculus, peccatum est, non tantum a vulgo scriptorum, sed a nonnullis etiam qui primum gloriae decus obtinent.

§. XXVI.

(f) Suet., Iul. c. 58. (g) c. 36.

§. XXVI.

Interim fuerunt, qui geographiae operam nauabant. Cicero in epistolis ad Atticum ita: de geographia dabo operam, ut tibi satisficiam, sed nihil certi polliceor: geographica, quae constitueram, magnum opus est, interim tamen, ut iubes, curabo, ut huius peregrinationis aliquod tibi opus exstet (*b*). Geographica Eratosthenis Cyrenaei, quae sibi Cicero proposuerat, cum id operis suscipere, in magno pretio apud Romanos fuisse, vel ex Caesare colligere licet, qui eum potissimum e Graecis nominat, ubi de silua Hercynia agit (*i*). Qui Eratosthenes, geographus maximi nominis, proximis post Alexandrum temporibus, a Serapione et Hipparcho valide reprehensus est. Cicero etiam meminit Alexandri Ephesii cuiusdam, cognomine Lychni, qui scripserat geographica multa in prosa, quem Strabo aliique tradunt, cosmographiam versibus scripsisse (*k*).

§. XXVII.

Vbi Romani otio et diuitiis abundauere, plus temporis quam arte, ingeniorum cultui est datum. Historiarum et geographiae studio subiungebant philosophiam, omnium artium matrem, quae Ciceronis aetate, qua faciem omnia induerant nitidiorem, perpoliri demum coepit. Sapientiae studium iacuit ad eius tempora, nec ullum habuit lumen latinarum litterarum, immo et ipsi philosophiae cultores sunt quondam expulsi. Quae antecessit aetatem inter bella Punica et Ciceronem, femi-barbaram ait Bochartus in epistola de Aeneae nauigatione: nam vix ante bella haec clarus fuit, qui cum laude opes ingenii explicauerit; contra Olaus Borrichius aureum tunc seculum litterarum fuisse existimat. Nos medium tenemus. Philosophia latine loqui, et inter latinos conuersari coepit, Cicerone vel magistro vel interprete, qui sibi persuaferat, sine hoc studio non posse effici eloquentem, ideo operam in eo locauit, et ipsemet fatetur in Oratore suo: se non ex rhetorum officinis, sed ex academiae spatiis oratorem exstitisse. Intelligimus autem eam philosophiae partem, qua mores conformantur, qua de animi characteribus agitur, quae officia hominum tradit, quaeque inseruit non scholae, sed vitae ac eloquentiae excolendae. Dicendum erat de variis in republica, quae sane non ieiuni rhetores, sed philosophi omnibus rebus instructi explicabunt. Tractare dicuntur philosophi, cum scholam habent ac docent. Animaduerti, Brute, inquit Cicero, saepe Catonem auunculum tuum locos graues ex philosophia tractare (*l*). Cicero admirabili ad philosophiam studio con-

(*b*) ad Attic. III. c. 4. et 6. (*i*) de B. Gall. VI. 24. (*k*) ad Attic. II. 20. 22.

(*l*) Cic. Paradox. 1.

concitatus, principi academiae Philoni se totum tradidit, neque medio-
 crem a primo tempore operam in ea consumpsit. Stoicam, cuius condi-
 tor fuit Zeno, Socratis discipulus, Cittieus, impense amabant, quia eius
 auctores rerum politicarum intelligentissimi, suum sapientem optime in-
 struebant, licet aliorum vitia facundissime accusarent, intercutibus ipsi vi-
 tiis madentes. Fuere huic philosophiae addicti maximae auctoritatis viri,
 et Seneca hanc doctrinam in libris suis excoluit. Cicero, ut in Bruto de
 se exponit, Stoicum Diodotum a puero audiuit, qui vixit cum eo multos an-
 nos, qui habitavit apud eum, quem et admiratus et dilexit, a quo cum
 in aliis rebus, tum studiosissime in dialectica exercitus. Iuuentus studiis
 hisce dicata certatim ad doctores philosophiae, quorum copia in vrbe et
 exteris regionibus, confluit. Stoica praecepta magni fecerunt, vel
 quia Zeno minime, ut aliae sectae philosophorum, a rebus gerendis auo-
 cabat, quod testatur Laërtius, vel quia isti sapientes philosophiam practi-
 cam felicius, quam alii excoluerant, quamvis ex sententia Taciti ea secta
 turbidos et negotiorum appetentes faceret (m). Iure consulti plerique
 cum legum studio hanc philosophiam olim coniunxerant, unde Cicero iu-
 ris prudentiam non a praetoris edicto, neque e duodecim tabulis, sed pe-
 nitus ex intima philosophia petendam putabat. Academiae disciplinae quo-
 que vigeant, nec non Epicureos, Stoicis plane aduersos, multi sunt se-
 cuti, quorum aliquis Zeno Epicureus magna voce Athenis dixit, eum esse
 beatum, qui praesentibus frueretur voluptatibus, consideretque se fruitu-
 rum, aut in omni aut in magna parte vitae, dolore non interueniente.
 Quae sibi visa profutura, hauserunt, in quibus de bonis ac malis, de ho-
 nesto ac turpi, de iusto et iniusto disputatur, haec est oratori subiecta ad
 dicendum materia. Sic omnem Graiorum philosophiae, quae parens ac
 custos omnis eruditionis erat, rationem e limpidissimis fontibus hauriebant,
 graecosque sapientes in ipsa Graecia auditum commigrarunt. Ad alios per-
 mouendos mutuati sunt aliquid a Peripateticis, hi aptos et in omnem eru-
 ditionem paratos iam locos dabant, Academici pugnacitatem, Plato altitu-
 dinem, Xenophon iucunditatem. Ne Epicuri quidem, et Metrodori ho-
 nestas quasdam exclamations affumere, hisque, prout res poscit, uti,
 alienum fuit oratori. Ad eloquentiam non sufficit, tenere figuras omnes
 et formas dicendi, habere paratam lectissimorum verborum copiam, sed
 meditatione et argumentis opus est, quibus audientes aut concitentur aut
 conuincantur, quod nemo praestabit, nisi philosophia pectus impleuerit.
 Quidam nulli sectae amici optima quaeque ex omnibus veteris Graeciae sa-
 pientibus ceperunt.

§. XXVIII.

(m) Tac. Annal, 14. 57.

§. XXVIII.

Iuris scientiam olim in latenti habebant Patricii, nec temere quemquam nisi sui ordinis, hisce sacris initiare solebant. Postea iuris cognitionem alii diuulgare et discantibus se dare coeperunt. Scholas non aperuere neque leui didactro inuitati subsellia posuere discantibus: sed solebant, cum de iure consulentibus responderent, admittere iuuenes, qui audirent notarentque responsa, adeoque vna opera et consulentibus et discantibus satisfacere. Leges duodecim tabularum, quae Liuius fons vniuersi publici priuatique iuris, quas omnibus omnium philosophorum bibliothecis anteponeudas putat Crassus apud Ciceronem, aeri incidebantur, et pueris ipsis ab incunabulis ediscendae proponebantur; vt eo minus esset eas amittendi periculum (u). Qui mos ediscendi tam diu durauit, donec lege Cornelia praetores ex edictis perpetuis ius dicere iuberentur. Ex eo enim tempore iuris studia non a legibus duodecim tabularum, sed a praetoris edicto auspicabantur adolescentes, ceu ex Cicerone de legibus erudite ostendit Iac. Perizonius. Ciceronem non fuisse in Romana iurisprudencia hospitem, vel eius scripta demonstrant. Q. Scaeuolae se operam dedisse, testatur ipse in Bruto, et in oratione pro Muraena minatur, se, si sibi occupato stomachum mouerint, triduo iureconsultum professurum. In legum Romanarum farragine haud pauci de vniuersali iuris Romani collectione cogitarunt. Agitauit hoc consilium ipse Cicero, sed in spongiam incubuit hic Tullii Ajax. Sub Christianis Imperatoribus publica Romae schola floruit iurisprudenciae studiis consecrata, nec non Constantinopoli et Beryti a tertio iam saeculo. Antea vsu magis ac exercitatione quam doctrina ad tantam de iure respondendi facultatem adspirasse legimus. Tractare dicuntur Icti, cum de iuris quaestione disputant quod probat Scholiastes Iuuenalis: (o) qui et sedebant iuxta templum Apollinis, et tractabant, de quo templo Horatius: Sic me seruauit Apollo.

§. XXIX.

Adolescentes Romani foro se praeparaturi domi meditabantur actiones, easque in foro exhibentes, populo de se opinionem afferebant, se quondam fore maxime salutare reipublicae ciues, industriam suam populo ex aliqua illustri accusatione cognosci, laudis gratia primum rudimentum forensis operae subibant, quo insigni indicio ciuibz suis noscerentur. Quidam nono decimo aetatis anno alios iis orationibus sunt infecuti, quas

B

hodie-

(u) Cic. de Leg. 2, 4. 21. (o) Iuu. L. 1. Sat. 1. 128.

hodieque cum admiratione legimus. Initio quidem a docendo et scribendo iurisconsulti abstinuere, ne mysteria sua cum plebe communicarent. Oderunt profanum vulgus, qui in iurisprudencia defudarunt praestantes: Agere negotia publica, cognoscere, iudicare, promere atque exercere iustitiam, id partem sapientiae pulcherrimam optimus quisque cum Plinio iudicat. Plurima erat in omni iure civili antiquitatis effigies et prisca verborum vetustas, et actionum genera quaedam, quae maiorum consuetudinem vitamque declarabant. In maxima iureconsultorum veterum laude posita est accurata antiquitatum notitia. (p) Plinius Aristonem iureconsultum laudaturus illam prisca moris peritiam admiratur. Quam peritus ille et privati iuris et publici? quantum rerum, quantum exemplorum, quantum antiquitatis tenet? (q) Idem reconditarum litterarum praesidium in Antistio Labeone celebrat Gellius, qui nihil ratum pensumque habuit, nisi quod iustum sanctumque esse in Romanis antiquitatibus legisset. (r) Fieri profecto haud poterat, quin homines eius reipublicae ignari, cuius leges tractabant, tanquam illuni nocte sine lumine oberrantes saepe offenderent, saepe laberentur. Contra in antiquitatum studio suavis nonnunquam latet insania. Non desunt hodiernum Damasippi illius similes, qui insaniunt veteres statuas emendo, non desunt, qui Protei baculum aut Epiacti fictilem lucernam talentis coëmunt, quos suauiter ridemus, qui antiquitatis quisquilias auro mercantur. Potius allaborandum, ne studium et fides erga clientes iuris perito desit, quae Iulio, ut refert Suetonius, ne iuueni quidem defuerunt (s).

§. XXX.

Neque tamen certi quidam atque ordinarii erant iuris professores, sed eodem tempore et discipulis et consulentibus satisfecerunt, et hoc modo etiam Scaeuola studiosos audiendi docuit (t). Postremo et iureconsulti publice certo stipendio conducti Romae docere coeperunt, eaque schola iuridica Romana in occidente vnica tam frequens fuit, ut ex omnibus locis eo iuuenes confluerent. Sicenim Rutilius Numatianus in itineralo:

Facundus iuuenis, Gallorum nuper ab aruis

Missus, Romani discere iura fori (v).

§. XXXI.

Medicina Romae sero coli et in aliquo pretio haberi coepit. Seruos solos ac liberos artem hanc fecisse, negat Carolus Sponius, sed artis suae amore

(p) Cicero de Orat. l. 43. (q) Plin. ep. 1. 22. (r) Gellius A. N. 13. 14.
(s) Suet. Iul. 71. (t) Cicero Brut. 41. 89. (v) L. 1. 209.

amore falli colligit Heineccius in antiquitatibus Romanis, ex Suetonii Caligula, Quinctiliani institutione, ex Seneca de beneficiis, Varrone de re rustica et ex oratione Ciceronis pro rege Deiotaro (x). Ipsi lapides nobis plura exempla seruant, imo et servas et libertas fecisse medicinam, patet ex marmoribus apud Gruterum. Tales et erant obstetrices, quae medicamenta dare solebant. Ceterum primus medicos ciuitate donauit Iulius Caesar, referente Suetonio in vita eius. Augustus vero Antonii Musae, liberti, opera e graui ac periculoso morbo restitutus, Musae ius aureorum annullorum, vniuerso medicorum ordini immunitatem dedit, quod testatur Dio Cassius (y). Hinc multis Vespasiani, Adriani aliorumque re-scriptis confirmatum est illud priuilegium. Postea cum nimis multi medicinam professi immunitate fruerentur, certum definiri numerum placuit. Brissonius ostendit, plerosque medicos fuisse chirurgos, hinc et vulnerarii vel vulnerum medici vocantur. Apud Gruterum laudatur medicus clinicus, chirurgus, oculus. Celebres etiam fuere Iatraliptae seu medici vnguentarii, de quibus Plinius in historia naturali (z). Caue itaque, ne haec in contumeliam virorum illustrium, qui inter nos medicinam profitentur ac exercent, et quos veneramus, accipias. Quam longe distant ab illis! Alexandriae in oriente iam inde ab Antoninorum aetate floruit schola medicorum tantae celebritatis, vt ad commendationem medici illud satis videretur, si fuisset aliquamdiu Alexandriae commoratus, quod probamus ex Ammiano Marcellino (a). Medico, vult Cicero, honos habeatur, ita et Antonio Musae, cuius opera ex ancipiti morbo conualuerat Octavius, statuam, aere collato, iuxta signum Aesculapii statuerunt.

§. XXXII

Hisce perceptis alii certae se disciplinae tradebant, alii varietate studiorum delectati, nulla selecta disciplina in toto studiorum campo libere vagabantur. Declamarunt quoque maxime temporibus nundinarum, quo publicum sibi plausum conciliarent, disputarunt seu sermones cum amicis instituerunt, ita vt duo, tres aut plures coniuncti in varias res explicando inquisuerint. Factum id est in ambulationibus, bibliothecis, museis, conuiujs, quam proficiendi rationem alij vocant communicationem. Disputatio e Graecia suam deriuat originem, nam veteres philosophi disputarunt modo per dialogos, per inductionem, per sortem, modo methodo Megarica, Cynica, syllogistica. Eiusmodi exercitationes, quas eruditi suscipiunt, fructu suo non destituuntur. Verrius Flaccus ad exercitanda discipulorum in-

B 2

(x) Suet. 8. Quinct. 7. 2. Senec. 3. 24. Varro 1. 16. Cicero 6. (y) Dio 53.

(z) Plin. 29. 1. (a) Ammian. 22. 43.

genia,

genia, aequales inter se committere solebat, proposita non solum materia, quam scriberent, sed et praemio, quod victor auferret. Id erat liber aliquis antiquus pulcher aut rarior (b).

§. XXXIII.

Locupletandae eruditionis causa in alias sese oras terrarum contulere, doctores auditum celebratissimos. Romani plerumque Athenas petiuerunt, domicilium sapientiae, inuentrices doctrinarum, e quibus humanitas, doctrina, religio, fruges, iura, leges ortae ac in omnes terras distributae putabantur, quarum auctoritate infractum prope ac debilitatum Graeciae nomen nitebatur, in quibus summa dicendi vis et inuenta et perfecta. Athenae tamen id incommodi habebant, quod innata gentis vanitate studia magis ad ostentationem aut quaestum, quam ad usum vitae et reipublicae referrent, linguae autem purioris semper fuere custodes. Potissimum abibant Athenas, ut philosophia, historia, eloquentia ornarent animum et elegantioribus studiis, sed grauiora, ut theologica, iuridica, medica, rudia et imperfecta videntur apud veteres Graecos. Augustus Apollodorum iam grandem natu Apolloniam secum ab vrbe iuuenis adhuc eduxerat, ubi studiis vacauit (c). Iulius studuit, ut Octavius monarchiam Romanam conditurus omnibus ad tanti fastigii gubernationem artibus instructus accederet. Exercebatur in studio eloquentiae graecae et latinae, laboribus militiae strenue infuevit, artes imperandi praesertim Apolloniae florentes complexus. Aliud emporium humanitatis erat Rhodus, clara in citeriore Asia insula, mari potens, quo abibant concitati eius amoenitate, copia et salubritate, dialectos enim molesta erat, quod Dorice Rhodii loquantur (d). Cicero Asia tota peragrata et Athenis apud Demetrium Syrum studiose exercitus in Rhodum nauigauit, et Moloni, quem Romae audiuerat, se rursus applicando, didicit egregio hoc magistro, iuuenilem orationis abundantiam intra ripam coërcere. Apud Massilienses, Phocaeensium Iconiae ciuitatis coloniam Agricola Gallicis moribus est enutritus, qui maxime ob morum humanitatem et litterarum studia celeberrimi, in eo honore apud Romanos exstiterunt, ac si ea ciuitas esset mediae Graeciae umbilicus. Possemus asserre Neapolin in Campania, Mitylenen in Lesbo insula, Alexandriam, Burdigalam, Crotonem in magna Graecia, Antiochiam Syriae, liberalissimis studiis adfluentem, sed labore hoc supersedebimus.

§. XXXIV.

Ad sapientiam parum facit nobilitas locorum aut obscuritas. Boeotorum in crasso aëre Pindarus, Epaminondas nati sunt et educati. Verue-

(b) Sueton. de illust. grammat. 17. (c) Suet. Oct. 89. Velleius 11. 59. (d) Suet. Tib. 56.

cum in patria lucem vidit et adoleuit Democritus, barbarorum barbari Thracēs Linum, Orpheum, Musaeum, Phaedrum ostentant, Phryges Aesopum, Scythae Anacharsin, contra inter acutiores Athenienses stolidus Meletides numeratur. Interim veterum multi et recentiorum cum Curtio sentiunt, quod ingenia hominum ubique locorum situs formet, et positio caeli corporibus et animis det habitum, et locorum asperitas hominum ingenia duret ad similitudinem caeli sui rigentia. Cicero quoque cum hisce facit: inter locorum, inquit, naturas quantum interfit, videmus, alios esse salubres, alios pestilentes, in aliis esse pituitosos et quasi redundantes, in aliis exsiccatos atque aridos: multaque sunt alia, quae inter locum et locum plurimum differunt. Athenis tenue caelum, ex quo acutiores etiam putantur Attici: crassum Thebis, itaque pingues Thebani et valentes: (e) Mattiaci, ut legimus in Tacito, ipso terrae suae solo et caelo acius animantur, et Rhaetos secundum Liuium loca ipsa effecerunt, ad quod argumentum alludit Florus hisce: nihil hac plaga infestius, atrox caelum, perinde ingenia, et Iustinus: quanto Scythis caelum asperius quam Aegyptiis, tanto corpora et ingenia duriora (f). Persuaserant olim sibi profani gentiles, homines initio cum ceteris animantibus e terra stirpium ad instar ortos esse, quo spectat Atheniensium gloriatio, quam Diogenes Cynicus iis cum muribus et lumbricis communem dicebat esse, se eodem innatos solo, sed huius profanitatem sententiae refutat Lactantius. Verum quidem est, sub alio caelo, ut ceterarum rerum naturam, ita hominum quoque ingenia et corporis habitum non leuiter immutari, in qua re declaranda Vitruuius in primis sollers est, sed quae ex situ loci pro moribus argumenta petuntur, generalia cuncta sunt, quae vel naturae ipsius vel artis aut educationis ope non raro infringuntur. Non negamus, cuius nationi ex caelo suo characterem aliquem inherere, qui multorum quamuis, tamen non omnium mores, indolem atque animum effingat, unde partim Poenorum agilitas, Thracum famosa feritas posset derigari. Syros non sola salubritas caeli, sed et soli adfluentia in voluptates et animi leuitatem pellexit.

§. XXXV.

Legebant scripta cum Graecorum tum Latinorum, et quisque obseruabat, quae conditioni litterarum suarum possent conuenire. Quaedam digna memoria certis signis subnotarunt, e quibus in more fuit simplex L et geminatum, quo indicabatur locus laudabilis, qua de re plura habent scriptores de siglis veterum. Multum legebant, non multa, salubria obseruando

B 3

(e) Cicero Fat. c. 4. (f) Florus 11. 2. Iust. 11. 1.

uando et in vsum excerpando, quod testatur Plinius (g). Auunculus Plinii nihil legit, quod non exciperet, adnotaret, dicere etiam solitus: nullum esse librum tam malum, ut non aliqua parte prodesset. Nihil sane ad sapientiam vtilius aut salutaris, quam assidua mortuorum consuetudo, ac meditatio, quae non vltimum teneat locum. Apes debemus imitari, et quaecunque ex diuersa lectione conessimus, separare, melius enim distincta seruantur, dein adhibita ingenii nostri cura et facultate, in vnum saporem varia illa libamenta confundere, ut etiam si apparuerit, unde sumtum sit, aliud tamen esse, quam unde sumtum est, appareat, quod in corpore nostro videmus sine vlla opera nostra facere naturam. Sine meditatione in intimos litterarum recessus penetrare haud possumus et omnis lectio vana et inutilis euadit. Addebant quoque scribendi exercitium, modo stili modo eloquentiae culturam. Stili utique optimus dicendi opifex ac magister, redigit in corpus, quicquid lectione collectum. Elaborata relegant, recognoscant, seponant dein ad tempus, et tunc iterum sumant in manus, quod ipsis retractare dicebatur. Addendo, detrahendo immutabant, ut Plinius tradit: Poteris et, quae dixeris, post obliuionem retractare, multa retinere, plura transire, alia interscribere, alia rescribere. Laboriosum istud et taedio plenum, sed difficultate ipsa fructuosum, recalcrescere ex integro et resumere impetum fractum. Ut enim terrae variis mutatisque seminibus, ita ingenia nostra nunc hac nunc illa meditatione recoluntur. Pueris quoque litteratis et seruis vti sunt, tam in seriis musarum negotiis, quam inter epulas domino praelegere, quos lectores seu anagnostas vocant. Fiebat hoc inter coenam et si quid erat otii, et noctu, si interruptum somnum recuperare, ut euenit, non possent.

§. XXXVI.

Cum vero in aliis magis cernamus quam in nobismet ipsis, si quid delinquitur, aliorum quoque iudicium de scriptis suis exposcebant, ut emendationi locum darent. Si quis librum confecerat, vel amicis conuocatis peritis, vel auditoribus publice vel priuatim praelegit, quod recitare dicebatur, ut ex illorum frontibus cognosceret, probarentne an damnarent. Quae recitatio non modo pertinuit ad adolescentes, sed ad adultiores viros. Ipsam hanc subire censuram non dubitauerunt Cicero, Plinius iunior, Tacitus et Horatius. Varia per signa et formulas acclamandi diuersas ornabant recitantes, etiam per silentium, si fuerit acre et intentum, et cupidum vltiora audiendi. Plautus quoque saepe admiratione compressus et restinctus

(g) L. VII, ep. 9, n. 15, L. VI, ep. 20, n. 5, L. III, ep. 5, n. 10.

stinctus fuit nonnunquam obstupefactis hominibus (*b*). Poëtae carmina amoris legerunt, ut auditorum beniuolentiam sibi facilius conciliarent. Nec minus historiarum recitatio usu recepta fuit. Sic Claudius historiam in adolescentia scribere aggressus frequenti auditorio cum eam commisisset, aegre perlegit, refrigeratus saepe a semet ipso. Nam cum initio recitationis, defractus compluribus subselliis obesitate cuiusdam, risus exortus esset, temperare non potuit, quin ex interuallo cachinnos reuocaret (*i*). Recitationibus haud raro praefecti erant iudices, qui vires cuiuscunque probarent ac constitutis singularibus praemiis, sententiam de recitatis ferrent, quae videlicet laude et praemiis essent digna, quae vero non. Plinius nobilem iuuenem Calpurnium bene recitasse nuntiat Spurinnae (*k*). Ornamenta recitantium erant ingenium magnum et suauissima vox, verecundia, multum sanguinis, multum sollicitudinis in ore: etenim nescio quo pacto magis in studiis homines timor quam fiducia decet. Publicae recitationis auditores erant populus tabula suspensa inuitatus. Quidam adfectarunt laudationem prodeuntes loti, pexa coma, barba et candidati, vnguentis obliti, quos ridet Persius. Alii vbiuis recitabant oratiunculas seu versus suos, fugabant indoctum et doctum, quem vero arripuerat recitator acerbus, tenuit et occidit legendo, ceu hirudo non missura cutem, nisi plena cruoris. Interim hic mos saluberrimus cognitionem reddidit pleniorē, ut nil exiret in publicum, nisi cura limatum et de consilio emendatum.

§. XXXVII.

Per recta studia nemo poterat adspirare ad ciuiles dignitates, nisi militasset, ideo prima adolescenti commendatio ad gloriam erat, si quam ex bellicis rebus sibi compararet. Patres suis filiis conciliabant consuetudinem belli ducum, legatorum, quorum actiones obseruarent. Hi vero plerumque litterati erant: ita nunquam in castris omisere usum studiorum, euoluerunt historicorum, politicorum, philosophorum scripta inter strepitum armorum. Post aliquod temporis spatium reuersi ad suos, adiungebant se oratori latino quo utebantur paullo familiarius, a quo condiscerent loquendi facultatem, perorarent causas atque ab eo ducerentur in forum, vel ut accusarent, vel defenderent. Ita edebant eloquentiae suae specimina, plerique famam captabant accusatione, quae iis, nulla causa iusta suppetente, res non pudenda videbatur, sed delectabantur iuuenibus improbos consectantibus ad instar canum feras persequentium, alii quoque vel adfecta-

bant

(*b*) Cicero, pro Deiot., c. 12. (*i*) Suet., Claud., c. 41. (*k*) cp. 17. L. V.

bant gloriam defendendo alterum in causa illustriore. Iuuenis foro et eloquentiae paratus, imbutus iam domestica disciplina, refertus honestis studiis, deducebatur a patre ad oratorem principem, quem sectari, prosequi, eiusque omnibus dictionibus interesse, seu in iudiciis seu in concionibus adfuevit, ita ut altercationes excipere et iurgiis interesse, utque sic dixerim, pugnare in proelio, disceret. Magnus ex hoc usus, plurimum iudicii iuuenibus statim contigit, ceu testatur auctor dialogi de causis corruptae eloquentiae. Proficiendi et emergendi nullus modus est praestantior, quam si nobis versari licet cum magno viro omnia mouente ac docente, qui expertae est doctrinae, ad cuius mores se nostri exigunt, non aliter quam hederam validam amplexa arborem una cum ea erigit se et attollit.

Nomina ciuium, qui ad dicendum prodibunt, et argumenta orationum sunt:

IACOBVS ERNESTVS MARCVS, Halensis, summum honorem in virtute ponit ode germanica.

FRIDERICVS COELER, Dessauensis, dicit pro humanitatis studiis oratione latina, insigni diligentiae suae specimine, nobisque, ad altiora properans, vale dicit ultimum.

NICOLAUS WILHELMVS IHRINGK, Cassellano-Hassus, et **IOANNES ERNESTVS WILHELMVS PFAV**, Bernburg. et **HARTMANNVS SALOMON de BVOL**, Eques Rhaetus, confabulabuntur de usu philosophiae in societate humana, germanice.

FRIDERICVS DAVID GRILLO, Wettin. ex Horatii Epodon et Satirarum libris varia virtutis praecepta ipse cum iudicio contexuit, et subfelia nostra cum academicis commutaturus, vale Gymnasio dicet oratione latina.

Viri, quibus res nostrae sunt demandatae, deuenerandi, ceterique Musarum fautores, rogantur, obsecrantur, ut oratiunculis interesse velint.

